

www.e-rara.ch

**Stephani de Malescot Iuriscos. ac Belarborensis Theophilologi, de
Nuptiis Liber Paradoxicus, nova & recenti methodo compositus**

Malescot, Etienne de

Basileae, 1572

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-129>

De causa formae nuptiarum, sive solennitatibus. Caput V

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE CAUSA FOR-

MAE NVPTIARVM, SI-
ve Solemnitatibus. Caput V.



DE coniunctione maris & fœ-
minæ, quæ causa est mate-
riæ nuptiarum, differimus.
Nam inseruit natura non so-
lùm animalib. perfectis at-
que absolutis, sed plantis etiam, & iis quę
inter vtraque ambigunt, qualia Gręci di-
cunt *ζώοντα*^a, desiderium & incendiū quod-
dam procreandi suam speciem & sibi simi-
le progenerandi^b. Ex quo factum est, vt in
nostro genere cōiungi ac copulari eos ne-
cesse sit, qui nisi simul sint, esse nō possunt,
marem scilicet & fœminam, qui non alia
causa, quàm procreandi vnà conveniunt:
quod sanè nō potest non ab animi nostri
optione proficisci, sed à naturæ impulsu.
In hac verò societate par est illud impe-
rare quod ingenio & virtute præcellit:
hec ratio virum fœminę, dominum seruo
prætulit^c. Prima itaq; societas seu consti-
tutio domus viro & fœmina, tanquam ex
materia, sine cuius adminiculo sanè haud
posset, cōltare debet: hoc em̄ innuit Hesio-
dus^d, *οἶνον μὲν πρότιμα, γυναῖκά τε, βῆρ τ' ἀροτῆρα.*
Imprimis domus, & mulier, bōsque adsit

^a Budæus
in l. anti-
qui. si pars
hereditatis
petatur.

^b Cic. li. i.
Officiorum.

^c Paulus i.
ad Corin-
thios ii.

^d Aristot. li
bro i. Politi-
co. cap. i.

arator. Charódas hos *εμύπυς*, Epimenides *εμουάπυς*, appellauit, quòd vnà somniū capiant, & ad eundem fumum degant: in iis sunt filij ad propagandum nostrā speciem prognati. Nam quū indiuiduum quodq; per se mortale sit, & propediem interiturum, nisi in sobole generis æternitas retineatur^c, breui omnē speciem aboleri necesse est: ex iis enim subolescit societas altera, quæ prima ex pluribus domibus coalescit, in qua sunt & nati natorum, & qui nascuntur ab illis. Hinc ergo facilè intelligi potest, cur Iuriscōsultif dixerint Familiæ appellatione liberos contineri: utpote quorū causa prima societas maris & femina à natura sit instituta. Coniunctio ergo illa natura ipsa introducta est causa materię matrimonij. Quia verò nulla fieri potest, nisi mas cum femella consentiat, ideo cōsensus est causa efficiens totius indiuiduæ illius coniunctionis, quia de nuptiis ex natura ipsius causę enunciatur^g, de quibus copiosè satis dictum est. Sequitur formæ nuptiarū narratio, quæ dat esse rei, ut à Cicerone in Topicis, & Alciato in l. mulieris de verb. signific. & in c. tua. de sponsalibus dicitur. quæ omnino in ceremoniis, in hilaritatibus, in ducēdis vxoribus obseruatis, in annulis dādis hodie (quod olim in spōsionibus obseruabatur, ut cum

Ulpiano

e l. libero-
rum. de ver-
bor. signifi-
cat.

f l. pronun-
ciatio. §. 1.
eodem.

g Cicero in
Topicis.

Vlpiano in l. si rem. §. vlt. de præscriptis ver-
bis, Plinius lib. 9. cap. 35. scribit) consistit.
Nuptiæ enim dictæ sunt à nubédo, quod
propriè significat velo vel tegeo, quoniam
noua nupta dū viro tradebatur, flammeo
præ pudore caput obvoluebat, vt testatur
Lucanus ^h:

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem

h lib. 2.

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Hinc factum, vt nubere pro tradi viro acci-
piatur, vt nuptiæ pro maris & fœminæ cõ-
iunctione. Vnde Cicero in oratione pro
Cluentio, nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ
cõcordiæ. ibidem nuptiæ nõ matrimonij
dignitate, sed sceleris societate coniunctæ,
ideo similitudine quadam arbores nubere
dicuntur vitibus, & vites arboribus, pro
conscendere & cõiungi, vt apud Pliniũ in
Campano agro populis nubunt, de viti-
bus. Verum quidam sunt, vt Placétinus, ea
animi dicacitate fulti, vt dicant virum non
nubere, quum mulieris propriũ sit, vt ex
sacris literis, & omnibus ferè authoribus
compertum est. Nam nubere, est caput ve-
lare, quod à mulieribus duntaxat præ pu-
dore obseruabatur. Sed quia dum sponsæ
apud veteres viro tradebatur, nubere, hoc
est velare capita solebāt, factum est, vt nu-
bere p viro tradi vsurpetur, γαμέω, συνοικέω.

i lib. 14. c. 2.

Vnde Pomponius in Pannuceatis, vt citat

Nonius, sed meus frater maior, postquam vidit me domo eiectum, nupsit posterius dotatæ vetulæ, varicosæ, Aphræ^k. Iuuenalis, Quid quæris? nubit amicus. Sunt qui aiunt virum tum nubere, quū seruit vxori, tanquā illa potius vir sit, quā ille. Vnde *k Satyra. 2.* Martialis^l, Vxori; nubere nolo meæ. Sed vt paucis omnia concludamus, certū est, verba in pprię significationis suę viscerib. & cancellis hodie non includi, sed latè per similitudinē extendi, & totum potius appellationem & nomē sortiri à solennitatibus. Nuptiæ ergo dictæ sunt à ceremoniis, quæ in matrimoniis obseruari solebāt, & ab iisdem vxor dicta ab vngendo, teste Seruio, quòd antequam limen mariti transirent, postes auerruncā dorum maiorum causa vngerēt. *lib. 4. Æneidos: idq;* Plinius *lib. 28. cap. 9. confirmat.* Et quemadmodum nuptiæ diuortio soluuntur^m. Diuortium autem fit certa forma & ritu, non consensu solo ac voluntate diuertentisⁿ, sic matrimonium non solo cōsensu, sed & solenni ritu more maiorum cōficitur. Eadem ferè solennitas in destruendo requiritur, quæ & in conficiendo^o: iis de causis cū solennitates in cōficiendis nuptiis obseruentur, vt velamen sponsæ, nuptiarum celebratio, traductio in mariti & reliqua eius naturæ solennia^p, sic certæ sunt

l lib. 8. Epigram.

m l. 1. de diuortis. et l. inter stuprū l. inter diuortium. de verb. signif. n l. 2. l. nullum. l. si pœnituit. de diuortis. l. consensu. C. de repud.

o l. heredes. §. si quid. de testament. l. 1. C. quando liceat ab emp. disced. l. nihil tam. de regulis iuris. c. 1. de regul. iuris. in decret.

p c. nostrates. c. quales. c. sponsus. c. nullum. 30. quast. 5.

sunt solēnitates in solutione matrimonij, quæ honesti & decori gratia requiri, certū est, nō necessitate vrgēte, quasi sine solennibus fieri nō queat. Quia vt certis & discrepantibus modis omnes actus legitimi distinguerentur, introductæ sunt, quæ ordine persequi nō proposuimus (vt solennia ab^q Alexādō & infinitis optimi calculi viris satis explicata) quæ iuris perpetui sunt, persequamur. Sed multis suboscuro quorundam iuriconsultorum respōsa apparet, quum de ductione in domum mariti^r loquuntur. Vlpianus siquidem conditionem nubendi tunc impletā videri ait, cum vxor ducta fuerit^s: Iustinianus conditionem nuptiarum impleri nō posse, nisi ipsa nuptiarū accidat festiuitas, testatur^t. Aurelianus Imperator, cum de donatione cōsuleretur, quæ nuptiarum die facta dicebatur, & dubitaretur, an à sponso, vel à marito res donata esset, rescripsit ita demū videri à marito donatā esse, si in sponsi domo facta fuerit donatio^u. Quib. verbis ostēdere videtur, nō aliter nuptias, quàm per ductionem in mariti domū, perfectas intelligi. Nam notū est, solennes quasdam ceremonias morib. olim receptas fuisse, quibus nō seruatis, matrimoniū ferè contrahi nō soleret, vt ex classicis authoribus discimus^a. Tamen quod Pomponius cum

q li. 2. cap. 2. & 1. ca. 4.

r l. mulierem. de ritu nuptiarum. s l. cum fuerit. de cōdit. & demonstr. t l. sancimus. C. de nuptiis.

u l. cum in te. C. de donatione. ante nuptias.

a c. priuilegium. 27. q. 2. l. Seia. de donat. inter vir. et vxor.

Ulpiano & Iustiniano in locis supra dictis ait, id ita accipiendum nō est, vt solennitates matrimonij omnino necessarię sint, & omitti nullo modo queāt: sed vt de cōsensu coniunctorū & parentum omnibus notū sit, illis signis exterioribus fieri conueniens esse & decens, innuere volunt Iurisconsulti & Imperatores, quia rarò olim abq; ea festiuitate & pompa matrimonia inirentur, quæ tamē de natura & *scia* siue essentia matrimonij nō sunt, quos Scęuola apertissimè lib. 9. Digestorum^b respondit, & Theodosiana cōstitutione satis cōprobatur, qua pompæ celebritatis omissionē matrimonij firmitati nō obesse constitutum^c est. Ex iam dictis intelligendum est, neq; deductionem aliūmve ritum solennem ad perficiendas nuptias iure civili necessarium esse, iure tamen Pontificio benedictio sacerdotis cū sacra oblatione & orationibus adhibetur, quæ in Gallia & aliis provinciis iugo Romani Pontificis subditis obseruantur. Alioqui nullius momenti, respectu iuris Romani, nuptiæ censentur^d: nullo tamen, vt olim, vinculo ætatis coarctatæ sunt. Nam & 2. & 3. & 4. nuptiæ permittūtur, licet Iustinianus modum suis cōstitutionibus præscribere voluerit. Nam Hieronymus ad Pammachiū nec octogamos dānat^e: Apostolus^f dicit, quòd

b l. Scia.
eod.

c l. si donationū. C. de nuptiis.

d c. aliter.
30. quæst. 5.
& titulo de clādest. desponsalib.
e c. aperiāt.
31. quæst. 1.
Matth. 22.
f 1. ad Corinth. c. 7.

quòd si dormierit vir eius. non distinguit primus, vel secundus, vel quartus: nec à nobis definiendum, quod minimè Apostolus definitione includit, autore Augustino ^g. Omnino enim exhibenda est lex Iulia, Papiæ, quæ cum vnâ in nuptiis procreationis causam vrgeret, mulierû post annos quinquaginta, & virorû post sexaginta contractas primùm nuptias non probabat. Non erant quidem omnino illicitæ, sed non visæ sunt satis tempestiuæ ad euitandas cœlibum pœnas, & caducî periculum, iustas tamen fuisse credo, vt suscepti nihilominus ex matrimonio liberi & legitimi & in potestate essent: Constitutionibus ^h Imperatorû postea liberum concessum sexagenariis & quinquagenariis matrimoniû, & partus legitimus est, atq; ideo etiam succedit ⁱ. Omnes breuiter leges cõtra libertatem matrimonij latæ, sublatae sunt, vnde conditiones, si non nupserit, in Iure nostro reiiciuntur, legem vtilem reip. sobolis scilicet procreandæ causa, latam esse, vt tales conditiones reiiciantur: eamque propterea interpretatione adiuuandam, ait Terentius ^k Iurisconsultus, multaque in hâc sententiam ^l Alexâder ab Alexâdro copiose differit. Huius legis autorẽ nominare nõ possumus: sed dignus profectò erat, cuius nomen exta-

g c. quod si.
31. quæst. 1.

h l. sanctimus. C. de nuptiis.
i l. si maior. C. de legitimis heredibus.

k l. 63. de condit. & demonstr.
l lib. 4. Genial. dierû.
lib. 8.

ret^l. Certè ne pater quidem ipse, quátumvis maxima sit patria potestas, posset non modò tyrannico imperio indicere invitis suis filiis familiâs cælibatum, sed nec alia ratione impedire eorú nuptias^m: nam nec illos, si cælibes viuere malint, ad coniugiú invitos adigere possetⁿ. Sed & si liberta patrono iurauerit, sese non nupturam, remitti iusurandum, responsum^o est. Quanto igitur magis remittenda est illa, quam alius ascripsisset, conditio non nubendi: præsertim cum Reipub. quoq; inuutilis sit? neq; temerè factum est, vt olim sapientes Romani nuptias multis præmiis, cælibatum quibusdam etiam pœnis affecerint: qua verò pœna mulctentur qui vxoré ducere refugiút, Plato in libris de Legib.^p ostendit. Sed nó fuit perpetua hac in re nostrorum legumlatorum eadémq; semper sentétia. lata quædam olim apud Romanos lex fuit Iulia Mistella, quæ missellarú viduarum miseratione quadam, mulieribus, quibus mariti viduitatem indixerát, & aliquid sub hac conditione, si non nuberent, reliquerant, permittebat nihilominus nubere, & legatum consequi, sed hoc intra annum tantum: & ita demum, si iurassent, se non aliqua libidine, sed sobolis tantum procreandæ causa secundas nuptias repetere, post annum verò, ne tali quidem

m l. qui liberos. de ritu nuptiarum.

n l. non cogitur. eodē.

o l. adigere.

§. vlt. de iure patronatus.

p Dialog. 6.

quidem iurifurandi conditione remittebatur illa cōditio nō nubendi. Sed ita demum legatum cōsequebantur, si cauerent se nō nupturas. Sive Q. Mutius hoc casu suam cautionem locū habere voluerit, siue alius id adiecerit, (ab hac enim culpa Iustinianus liberat authorem legis Iulix Mistellæ) tota ea lex eiusq; vsus nostro Iustiniāno¹ aliquando displicuit. Itaque ea planè sublata, voluit coniugibus liberum esse, nouum coniugium reperere, & indictam viduitatem contemnentes relictum legatum nō amittere: neq; modò cautionem Mutianam hic remitti remissa cōditione nō nubendi, sed neq; iurari, liberorum tantum procreandorū causa nuptias repeti. Verum nescio quī factū sit, vt postea sentētiam suam mutarit Iustinianus: & conditionem, quæ viduitatem indiceret, nō esse remittendam existimarit: nimium profectò indulgens ineptis defunctorum voluntatibus. Quasi verò eorum interfit, cælibes sint, an coniuges, qui sunt superstites. Sed quæ tota fuerit Iustiniani in hoc genere sententia, satis potest intelligi ex Nouella eius const. 22. vbi pluribus, vt solet, verbis huiusmodi quæstionem persequitur, & quam cautionem non nubendi exigat, vt sub cōditione relictum legatum vidua cōsequatur, copiosius exponit. Sed

q l. 2. & 3.
C. de indi-
cta viduita-
te tollenda.

de his aliàs. Nuptiæ ergo legitimæ cōsen-
 su & cōiunctione viri & mulieris efficiun-
 tur, solennitatibus & ceremoniis exte-
 ribus ornatae celebrantur, vt facilius signis
 vniuersis, notis & cognitis quo tempore
 mutuo inter se coniuges consenserint, co-
 gnoscamus, & vt in clãdestinis ad præsum-
 ptiones & coniecturas nõ recurramus, de
 quibus abvnde satis loquitur Festus Pom-
 peius: nec nouũ erit attamẽ, si ceremoniæ
 illæ aliquãdo omittantur: nam pleraque
 tum ciuili iure, tum Põtificio omitti pro-
 hibentur: quæ tamen omissa rei factæ mi-
 nimè nocẽt. Potissima enim & præcipua
 res sine suis accidentibus in qua hærent
 & existũt, esse potest, & stare: accidentia
 verò rem præcipuam & eius naturam se-
 quuntur^s, & cedunt^t, vt substantiæ acci-
 dens. Quòd si potissima res, vt sepissimè
 evenit, nullius sit momenti: vt si cōsensus
 nullus sit, vt inter vinculo sanguinis iun-
 ctos & affines, vel si coniunctio corporis
 inter coniuges esse nõ possit, ita vt nulla
 generatio inde sequi queat, & solennita-
 tes obseruatæ nullę sunt: quia cùm præci-
 pua res evanescit, & ea quæ rei
 accidunt, expirant^u.

DE

v c. vlt. de
 secundis nu-
 ptis. c. ali-
 ter. 30. q. 5.
 s. l. cū prin-
 cipalib. de
 reg. iuris. &
 c. accessoriũ
 eod. in 6.
 t. l. et si. non
 sunt. §. per-
 veniamus.
 & l. si quan-
 do. de auro
 & argento
 legato.
 u. l. nõ du-
 bium. C. de
 legibus. l. cū
 lex. de fide-
 iussionibus.
 l. 1. & 2. de
 pecul. legat.
 c. 1. inter di-
 lectos. & fi-
 de Instr. c. cū
 quid. de re-
 gulis Iuris.
 in 6.